



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. II. Alia difficilis objectio solvitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

Dices tertio: Inter terminum & rem terminatam debet esse aliqua proportio: At nulla proportio esse potest inter naturam humanam, & divinam substantiam, cum infinitè distent. Ergo licet substantia divina, sit infinita, tamen humanam naturam terminare nequit.

Confirmatur: Magis distant Deus & homo, quam substantia & accidens: cum illa in infinitum inter se distent, non verò ista: Sed accidens non potest existere per existentiam substantiæ, vel substantia per existentiam accidentis: Ergo à fortiori natura humana per existentiam & substantiam Dei existere & subsistere nequit.

Confirmatur amplius: Eadem improprio est inter naturam creatam, & divinam substantiam, ac inter intellectum creatum, & intellectum divinum: Sed implicat quod intellectus creatus intelligat per intellectum divinum, ut docuimus in Tractatu de beatitudine, in quo ostendimus, hominem per increatam Dei rationem & intellectum non posse beatificari: Ergo similiter implicat, quod natura humana, per increatam Dei substantiam terminetur & subsistat.

Ad instantiam, concessa Majori, nego Minorem: ad cujus probationem dicendum cum S. Thoma in 3. dist. 1. quæst. 1. art. 1. ad 3. quod licet finiri ad infinitum nulla sit proportio arithmetica, bene tamen geometrica; ad hanc enim sufficit, quod finitum sit perfectibile per infinitum: unde cum natura creata, per substantiam increatam perfectibilis sit, habet cum illa proportionem geometricam, quæ per distantiam infinitum non dissolvitur, imò magis juvatur, cum sola substantia infinita & increata, alienam naturam perficere, complecti, & terminare possit, ut infra dicemus. Infinitus ergo divinæ substantiæ super naturam humanam excessus, est solam in ratione entis, non verò in ratione termini & terminabilis: licet enim sunt proportionata, quia substantia divina non terminat naturam humanam infinito & illimitato modo, sicut terminat naturam divinam, sed finito & limitato, sicut ipsa natura humana exposcit; eoque proportionali modo, quo essentia divina, per modum verbi & speciei expressæ, terminat intellectum creatum in beatitudine, ut in Tractatu de visione beata docuimus. Ex quo patet responsio ad primam confirmationem, dicendum enim est, quod licet magis distent in esse entis Deus & homo, quam substantia & accidens, non tamen in ratione termini & terminabilis: sicut materia & forma, magis distant in ratione entis, quam duæ abedines, non tamen in ratione actus & potentie.

Ad secundam similiter distinguo Majorem: Eadem improprio est inter naturam creatam & divinam substantiam, ac inter intellectum creatum, & divinam intellectum: si natura creata & divina substantia, in ratione entis spectentur, concedo; si considerentur in ratione termini & terminabilis, nego. Addo, notabile esse discrimen inter substantiam & intellectum: intellectus enim, cum sit actio vitalis, debet necessario procedere à principio, quod per eam denominatur intelligens, quod repugnat intellectui increato, respectu nostri intellectus: substantia verò, cum non sit actio, sed terminus, vel complementum nature, non debet procedere necessitudo à natura quam terminat, sed potest à Deo provenire: unde licet implicet contradictionem, quod

Tom. IV.

intellectus creatus, intelligat per divinam intellectum, non tamen quod natura humana, per divinam substantiam terminetur.

§. II.

Alia difficilis objectio solvitur.

Contra possibilitatem Incarnationis obijci potest hoc difficile argumentum: Deus non potest supplere vices substantiæ creatæ: Ergo nec incarnari. Consequentia patet ex dictis §. præcedenti, Antecedens probatur. Implicat divinam substantiam habere rationem formæ, seu causæ formalis, quia de ratione formæ est esse partem, subindeque aliquid incomplem, ac dependens à toto composito, quod Deo repugnat: Sed Deus non potest supplere vices substantiæ creatæ, & constituere naturam creatam substantem, nisi per modum formæ: quia substantia creata est essentialiter forma nature creatæ, cum eam intrinsecè actuet, compleat, & perficiat: Ergo implicat Deum, seu divinam substantiam, supplere vices substantiæ creatæ.

Huic argumento communiter respondent nostri Thomistæ, negando Antecedens, ad cujus probationem, concessa Majori, negant Minorem, & ad probationem illius, dicunt substantiam creatam non habere essentialiter quod sit forma nature creatæ, sed solum quod sit ejus terminus intrinsecus, sicut punctum constituit lineam terminatam formaliter, & tamen non est formalis, sed terminus ejus, Unde ut Deus suppleat vices substantiæ creatæ, & constituat naturam creatam substantem & terminatam, non oportet quod divina substantia habeat rationem formæ, seu causæ formalis respectu illius, sed sufficit quod exerceat solam rationem termini.

Verum hæc solutio, nisi magis explicetur, non videtur legitima, licet enim substantia creata non habeat rationem formæ physice, respectu nature quam terminat, habet tamen rationem formæ metaphysice, non verò rationem puri termini, quod multipliciter demonstrari potest. In primis enim suppositum dependet à substantia, non quomodo cumque, sed tanquam ab actu se communicante: Ergo cum actus & forma metaphysica sint idem, non potest denegari substantiæ creatæ causalitas formalis metaphysica. Secundo, Substantia facit naturam formaliter subsistere, quidni ergo dicetur causa formalis subsistendi? Tertio, Omne constitutum est causa formalis metaphysica constituti: Substantia est constitutiva suppositi: Ergo & ejus causa formalis, saltem metaphysica. Quarto, Existencia est causa formalis existendi: Ergo & substantia erit causa formalis subsistendi. Quinto, Nemo negabit naturam in supposito habere rationem materiæ, seu causæ materialis, respectu substantiæ per quam completur & actuat: Ergo nec negare debet talem substantiam habere rationem formæ metaphysicæ, seu causæ formalis respectu illius, cum causalitas materialis & formalis sibi invicem cor respondeant. Denique, quamvis forte non omnis dependentia inferat causalitatem, tamen essentialissima, & maxime propria, qualis est rei constitutæ à suo constitutivo, subindeque suppositi ab ipsa substantia, procul dubio illam inferat: Sed talis causalitas, cum sit intrinseca, non potest esse alia quam formalis, non potest enim esse materialis, ut patet, cum substantia non se habeat

Ecc

per

per modum potentie receptibilis, sed ad modum actus perficientis, respectu naturæ quam terminat: Ergo &c.

14. Melius ergo ad argumentum responderetur, negando Antecedens, & ad ejus probationem, sic distinguendo Majorem: Implicat Deum, seu divinam substantiam, habere rationem formæ, seu causæ formalis, physicae, concedo: metaphysicae, nego. Similiter distinguo Minorem: Deus non potest supplere vices substantiæ creatæ, & const. vere naturam creatam substantentem, nisi per modum formæ, metaphysicae, concedo Minorem: physicae, nego Minorem, & Consequentiam.

15. Explicatur & magis illustratur hæc solutio: Triplex datur genus formæ, seu causæ formalis, nempe physica, metaphysica, & intelligibilis, inter quas hoc intercedit discrimen, quod forma physica, cum sit essentialiter pars, subindeque aliquid incompletum, & dependens a toto, & ab alia comparte, essentialiter involvit imperfectionem à qua præcindi & denudari non potest: forma vero metaphysica, cum non se habeat propriè per modum partis, sed per modum actus, & constitutivi, nullam in suo conceptu formali dicit imperfectionem, sed potius summam actualitatem & perfectionem: Idem dicendum est de forma intelligibili, illa enim non ordinatur ad componendum unum tertium, sicut forma naturalis, sed solum ad repræsentandum objectum, cujus est formalis similitudo, & ad determinandum & perficiendum intellectum, ad intelligendum; quod tanto melius & perfectius præstat, quanto completior & actualior est, ut in Tractatu de visione beata fusi declaravimus. Unde licet implicet Deum supplere vices causæ formalis physicae, non repugnat tamen, ipsum formæ metaphysicae & intelligibilis munus obire, sed de facto in mysterio Incarnationis primum præstat, secundum verò in beatitudine, in qua essentia divina unitur intellectui beatorum, per modum speciei impressæ, & expressæ, ut loco citato fusi ostendimus.

16. Advertemus tamen, quod sicut Deus & Angelus, licet revera sint formæ, non solent tamen hoc nomine appellari, ne ipsorum perfectioni derogetur: ita substantia & existentia, licet munus causæ formalis exerceant, respectu naturæ quam complent & terminant, propter rationem oppositam, nempe scilicet habere videantur plus entitatis quam de facto habent, non solent vocari formæ naturæ, sed actus, modi, termini, & complementa illius, quæ tamen rationes, seu denominationes, causalitatem quandam formalem involvunt, ut ex supra dictis patet. Unde si quandoque in decursu hujus Tractatus dicamus, substantiam habere rationem puri termini, respectu naturæ humanæ, nullamque erga illam exercere causalitatem, per hoc solum rationem formæ physicae, quæ involvit imperfectionem incompletionis & informationis, non verò rationem actus & formæ metaphysicae, quæ ab omni imperfectione depurari potest, excludere intendimus.

§. III.

Aliud argumentum difficile, ex immutabilitate Dei desumptum, proponitur, & varia ejus solutiones referuntur, ac refelluntur.

17. Hoc argumentum potest sic breviter proponi: Implicat Deum intrinsecè mutari: Sed per In-

carnationem mutaretur intrinsecè: Ergo impossibile est Deum incarnari. Major est certa, & per dictis in Tractatu de attributis, explicando autem tum immutabilitatis. Minor probatur. Mutaretur aliter se habere intrinsecè nunc quam prius. Sed Deus incarnaretur, aliter se haberet intrinsecè quam prius; nam fieret intrinsecè homo, cum antea intrinsecè homo non esset: Ergo mutaretur intrinsecè.

Mirum est quantum hæc difficultas Theologorum ingenia torqueat, & in quàm varios modos eos abire compellat. In primis enim Valtia hic disp. 1. quæst. 1. puncto 2. ait quod ut aliquis intrinsecè mutetur, debet acquirere aliquid quod antea nec formaliter nec eminenter habebatur: cum Deus ante Incarnationem eminenter humanitatem præhaberet, non fuit mutatus, quoniam per Incarnationem eam sibi univit formaliter.

Sed hic modus dicendi non videtur sufficiens ad conciliandam divinæ naturæ immutabilitatem cum mysterio Incarnationis: Illud enim quod est eminenter tantum tale, si postea fiat formaliter, verè mutatur: v. g. Sol continet eminenter calorem, ut docet S. Thomas quæst. 7. de potentia, ad 3. & tamen si fieret formaliter calidus, verè mutaretur & mutaretur. Angelus habet eminenter virtutes morales moderatrices passionum, nihilominus, si formaliter illas reciperet, verè mutaretur: Item si Deus de novo intelligeret per intellectum creatum, aut accideret aliquod creatum de novo immediatè reciperet, intrinsecè mutaretur, & omnes fatentur, & tamen intellectus creatus, & quodlibet aliud accidens, eminenter continetur Deo: Ergo mutationi intrinsecæ non obstat contentia eminentialis formæ de novo acquisitæ, & noviter ad eam entis subiecto, quantum ad esse formale.

Confirmatur: Ad mutationem intrinsecam sufficit quod subiectum sit aliquo modo in potentia ad aliquam formam, intrinsecè in illo recipiendam: mutatio enim nihil est aliud quam transitus exi-
D
existentis in potentia, secundum quod in potentia. Sed subiectum eminenter præcontinens formam, & illam non habens formaliter, est aliquo modo in potentia ad illam, cum sit potens illam recipere formaliter: Ergo intrinsecè mutatur, per receptionem illius, quantum ad esse formale.

Secundò aliqui respondent, per Incarnationem Verbum non mutari intrinsecè, quia per illam non perficitur, nec in suo esse, nec in operationibus, cum æque bene sine humanitate existeret, & suas exerceret operationes ab humanitate separatam, ac illi intrinsecè unitam. Ita Franciscus Amicus, disputatione 1. de Incarnatione sect. 1.

Sed non placet etiam hæc solutio: Aqua enim per calorem mutatur intrinsecè, & tamen ab eo non perficitur, & si Deus de novo per intellectum aut volitionem creatam intelligeret, aut vellet, intrinsecè mutaretur, & tamen per talem intellectum aut volitionem non perficeretur: Ergo ex eo quod, Verbum Divinum per humanitatem assumptam non perficiatur, male inferitur ipsum non mutari intrinsecè, si semel conceditur humanitatem, intrinsecè afficere Verbum Divinum, seu eo intrinsecè recipi.

Confirmatur: Dato quod Verbum intrinsecè recipiat humanitatem, ut verum subiectum illius, salvatur in transitu Verbi de non esse hominis ad esse hominis, tota definitio mutationis intrin-